

secundum imperante Antonino Pio eum scripsisse plerique inde recte colligunt, quod constanter ibi (1, 53; 74; 102. 2, 126; 151. ad postremum locum nunc conferenda L. 3. D. de his quae in testam. 28, 4) sine divi commemoratione eum nominat, quam alias defunctis imperatoribus tribuere solet. sed et extremis Pii temporibus scripsisse videtur; nam 2, 195 eum divum appellat. Nec quod M. Antoninus in re tutelari de lege Plaetoria et praetore tutelari in locum consulum substituto (Capitol. Marc. 10 coll. cum 1, 198; 200) nec quod de cessione constituerat (Ulp. 22, 34 coll. cum 2, 177), in Gaii notitiam pervenerat, cum finem primi et cum secundum commentarium scriberet.¹ Atqui tum iam libros ex Q. Mucio ediderat (1, 188) et edictum interpretatus erat (1, 188), quod simpliciter dictum non nisi urbicum esse potest, ut libri ad edictum urbicum intellegi debeant, quibus solis etiam eiusmodi (quam ibi dicit) de tutelarum divisione disquisitio magis ad artis disciplinam quam ad fori usum pertinens convenit, eorundemque etiam proprii de bonorum possessionibus commentarii pars fuisse videntur, quos laudat 3, 33; (54). sequitur, ut 'imperator noster', quem in his libris laudat L. 73 § 1 D. de leg. 1, fuerit D. Pius. Praeterea post obitum Antonini Pii scriptos esse libros duos fideicommissorum, constat ex L. 90 D. de condic. et dem. 35, 1, L. 96 D. de leg. 3, L. 63 § 5 D. ad SC. Treb. 36, 1: idem de libris quindecim ad legem Iuliam et Papiam certe posterioribus² patet ex L. 56 D. de leg. 2 et de libris singularibus ad SC. Tertullianum et ad SC. Orphitianum a. 178 factum ex L. 8 et 9 D. ad SC. Tertull. 38, 17. Cetera eius scripta quando edita fuerint, aut disputatur

1) Etiam quartum comm. propius initiis D. Marci compositum esse inde apparet, quod 4, 185—187 abrogati ab eo imperatore vadimoniorum solennis (Victor de Caes. 16) nulla mentio habetur. 2) Quidam enim ad hos libros referunt proprios commentarios, quorum Gai. 3, 54 meminit. Sed cum lex Papia multa alia caveret, vix de his potest sensisse. Malim igitur intellegere commentarios de bonorum possessionibus, quos iam laudaverat 3, 33 quorumque pars ad bona libertorum spectabat.